



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 193. Quid addendum sit circa excusationem ob occupationes aliasque causas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

tantum, obligatio autem orandi totum Officium incipit à media nocte & durat per singulas partes diei naturalis usque ad alteram mediam noctem.

§. V. Magna lassitudo, v. g. per longum iter, 1227
faciens ut sit impotentia moralis recitandi, comparatur infirmitati ac similiter excusat; uti notant *Coton. Neuff. Stoꝝ* n. 402. Rarò tamen erit tanta, ut impotentiam moralem afferat.

Q. 193. Quid addendum sit circa excusationem 1228
ob occupationes aliasque causas. R. Seqq.

§. I. Occupatio studii secundum se non excusat, nisi hic & nunc sit necessarium nec compossibile cum Horis, hinc *Alex. VII.* damnavit hanc 21. prop. habens *Capellaniam collativam aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet*: falsitas autem illius propositionis inde patet; quòd obligatio recitandi sit personalis, adeoque non possit committi alteri: Studium autem in hac damnatione ponitur exempli causâ, & idem est de alia simili occupatione.

§. II. *Caram.* docet eum, qui ex officio, v. g. 1229
in scribendo, in Confessionibus audiendis occupatus est per 12. horas diei naturalis, non teneri illâ die recitare Officium canonicum, sed oppositum est certum, cum supersint aliæ 12. horæ, *Carden.* in 1. crisi d. 32.

§. III. Si quis careat Breviario vel sit cæcus, sciat 1230
autem de memoria magnam partem Officii, *Soto* dubitat, an teneatur recitare; & non teneri dixerunt aliqui apud *Sanch.* in Conf. l. 7. c. 2 d. 46., quia beneficium memoriæ habet se sicut privilegium, quo nemo tenetur uti; sed oppositum rectè docent *Nay. Suar. Bonac. Valens. Az. Sanch. Less. Castrop. Carden.* in 2. crisi d. 33. n. 36. *Gob.* in Exp. tr. 5. n. 717. *Illf. T. 5.*

n. 41, & videtur certum, quia sola impotentia physica vel moralis excusat, qualem iste non habet: dari autem aliquando, saltem indirectè, obligationem utendi suo privilegio, dictum est l. I. n. 847.

1231

§. IV. Si quis non possit orare nisi cum socio, putant l. Sanch. Diana, Tamb. n. II. Stez n. 403. non teneri adhibere socium; quod tunc dicunt esse verum Less. & Garc., si non sit solitus orare cum socio: sed oppositum tenendum est cum Nav. Suar. Az. Bonac. Rodrig. Valent. Regin. Sanch. Castrop. Gob. n. 712. Spor. à n. 175. Illf. supra, quia sic potest impleri præceptum, neque hoc medium est difficile vel extraordinarium, cum fiat ordinariè in choro, & etiam alibi; alioquin etiam dicam eum non teneri orare, qui non posset sine conspicio. Non tenor tamen cum magno sumptu conducere socium, id enim esset onus extraordinarium, uti rectè Illf.

1232

§. V. Si quis damnetur ad triremes, multi cum Tamb. in Decal. l. 2. c. 5. §. 1. n. 4. dicunt non teneri ad Horas, tum quia Ecclesia non censetur ei velle superaddere hoc onus, tum etiam quia breviarium non potest decenter ab eo tractari; Oppositum tenent alii multi apud Gob. n. 731. & Dian. p. 2. t. 10. R. 40., quia cum decenter possit & sæpe debeat orare Deum, non est, cur absolvatur à Breviario, quamdiu legere potest, nisi Ecclesia eum liberet, de quo non satis constat. Si tamen alicui intimata sit sententia mortis, excusari pro tribus diebus ante executionem docent Tancredi, Tamb. §. 8. n. 5. Gob. n. 709., quia illa mortis propinquitas parit perturbationem æquivalentem infirmitati, & utilius per alia exercitia devotionis se disponit ad mortem: An & quomodo excuset tenuitas fructuum beneficii, dictum est n. 1199.

1233

Q. 194. Quid specialiter sit addendum circa dispens.